tenere debemus; quod si quis laeditur eandem namque quam in principiis proposui
mus & iam in fine firmabimus; Si quis in quam laeditur a semet ipso laeditur. Nec ab ullo
alio & iam si innumeri sint qui noceant, & si omnes qui terram & mare habitant conue
niant ad laedendum nocere nequaquam potuerunt ei, qui a semet ipso non laeditur.

EXPLICIT NEMINEM POSSE LEDI AB ALIO NISI A SEMET IPSO. INCIPIT EIUS
DEM SCI IOHANNIS DE CORDIS CONPUNCTIONE LIBER PRIMUS. AD DEMETRIU(M)

xl CUM TE INTUEOR BEATE DEMETRI FREQUENTER INSISTEN
tem mihi & omni cum uehementia exigentem de cordis conpunctione sermonem.
admiror ualde & beatam iudico sinceritatem mentis tuae atque animi puritatem,
Neque enim possibile est cuiquam in huiuscemodi sermonis uenire desideriu(m),
nisi qui prius semet ipsum purgauerit a uitiis, atque omnibus saeculari
bus curis, superiorem sese celsiorem que constituerit. Cuius rei indiciu(m)
haut difficulter adsumitur. Inde praecipue quod si quos forte amor horum
exigua saltim ex parte contigerit. tanta in eis repente efficitur commutatio.
Ut confestim terrena relinquere, atque ad caelum properare contendant
& uelut molestissimis quibusdam uinculis saeculi scilicet curis animam resol
uentes. uolatu celeri ad propria eam redire signant. & ad cognita resurgere,
Sed hoc aliis fortasse raro accedit. Te autem o uenerabile caput certum e(st)
indesinenter hoc igni succendi; testantur enim de his diurna studia tua
nocterque peruigiles lacrimarum fontes. & amor quietis silentiique desi
derium, non solum iugiter permanens in animis tuis, sed & semper incres
cens; Quid ergo tibi amplius addere poterit noster iste sermo nisi oratio. Nam
& hoc ipsum quod cum ad summam iam uirtutum uerticem ueneris, temet ip
sum tam cum his reputas qui adhuc humi repunt. & uolantem profectibus ani
mam lapideam uocas. Ita ut frequenter tenens dexteram meam & deosculans
cum lacrimis conterearis & emollire durum & excecatum cor meum quantae rele
gionis esse ducam. quantum que in te aestimem diuini ignis ardorem. & si
quidem dormientes nos cupiens suscitare. ad istud opus adire ac pertrahere uolui
sti. consilium sapiens miror & amplector prouidentiam; si uero aliquid tibi uere
ex hoc utilitatis conferendum putasti. & iam in hoc nihilominus docuisti nos re
quirere quae magis nobis quam tibi desit. Uerumtamen quoquomodo id tibi
iussum est parebimus uel propter timorem & mandatum dei. ne quid porrecta dene
gemus. Uel propter amorem tuum quam erga nos plurimum geris; Ut tamen is



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0316